

ea enim contra veritatem, & tamen nemo obligabit ad retractandum: quod tamen intelligendum est, nisi aliquid damnum inde sequeretur, vel perniciosa error intellectualis tali mendacio causaretur. Simili modo, si per falsam negationem pars adversa damnum pateretur tam grave, ut illud non posset ad meam vitam tuendam causare, & non possem pro illo aliter satisfacere, vel illud aliter impedire, quam revocando, non dubito quin tenerer revocare, ut per se pater, quia non revocando essem causa illius damni. Si tamen (ut plerumque fieri potest) possem alio modo illud damnum refarcire, non tenerer revocare.

215. Controversum deinde est, quid dicendum sit, quando, non obstante delicti negatione, reus alius probationibus convictus est, & damnatus ducitur ad ultimum supplicium, an tunc in mortis articulo obligatus sit, & a Confessario de hac obligatione monendus ad suum crimen confitendum. Affirmant Corduba, Medina, Ledesma, Vega & alii.

Probabilius & communius alii negant. Probatur I. Quia tunc jam functus est iudex officio suo: ergo non amplius habet ullam vim obligandi interrogatio iudicis, imò esset inutilis & superflua, quia non serviret ad decisionem causæ, utpote quæ jam est decisa. Probatur 2. Quia ex opposita sententia arripiunt aliqui iudices occasione iniquissime procedendi cum reo. nempe simulant, ac si reus esset convictus, & condemnatus, ut reus in tali articulo constitutus, & nolens mori in peccato, si illi dicat Confessarius, eum esse obligatum ad fatendum crimen, illud confiteatur, quo confesso eum postea iudex tanquam confessum condemnat ad mortem: si non confiteatur, reducit in carcerem: ergo non debet Confessarius reum in illo articulo constitutum obligare ad fatendum cri-

men, cum verè non teneatur, quia per dolum extorquetur confessio, & ideo non esset iudicialis, nec sufficiens ad condemnationem.

Obijciunt adversarii. Taciturnitas in illo casu redundat in detrimentum accusatoris, testium, & iudicis, qui male audiri sunt apud populum, quando intelligunt, reum perituisse in asserenda sua innocentia. Respondet Lugo, hoc scandalum non esse alicujus momenti, quia semper stat præsumptio pro æquitate sententiæ, & creditur potius reus negasse, vel quòd sciret, se non obligari ad confitendum, vel ad tuendam qualemcumque spem vitæ conservandæ.

216. Excipitur tamen Hæreticus negans hæresin, qui ideo obligandus ad retractandum, & confitendam suam. Illam hæresin, quia alioquin scandalizet populum, qui præmit, eum mori in sua hæresi, quamdiu convictus eam non fatetur, quia non censetur absolutus a censura, dum rejicit oblatam reconciliationem & absolutionem, & quia non vult satisfacere Ecclesiæ satisfactione publicâ non culpa publica, & ideo merito præsumitur in eadem hæresi perseverare, & sic esse causa scandali.

217. Dubitatur denique, an, qui metu vel vi tormentorum confessus est crimen, quod non patavit, si deinde damnatur ad mortem, teneatur in conscientia confessionem retractare, & Teneri, quando sperat, se eâ ratione mortis sententiam evasurum, vel quando, nisi retractet confessionem, notabilis infamia in alios redundaret, quæ tamè per retractionem tolli potest, vel notabiliter minui, etiamsi fiat executio sententiæ. Ob propriam tamen infamiam declinandam non tenetur, quia est dominus suæ famæ. Videantur dicta To. 1. tract. 1. cap. de lesione in bonis fame & honoris.



## CAPUT VII. DE PROBATIONE DELICTORUM PER TESTES.

218. **S**IReus Crimen, super quo gravatus & examinatus est, constanter neget, incumbendum est iudici, ut, si fieri possit, probationibus convincatur & perinde reus habeatur, ac si crimen confessus esset. Sicut enim confessio rei sufficit ad eum condemnandum,

(si ad hinc cætera requisita, de quibus infra) etiamsi convictus reus non sit, ita contra sufficit esse convictum, etiamsi crimen confessus non sit. Probationem per testes fieri posse, indubitati Juris est, & patet in progressu.

### CONTROVERSIA I.

*Quot testes sint sufficientes, vel necessarii ad plene probandum delictum.*

### SUMMARIUM.

**A**N aliquando unus testis, & Princeps maxime, sufficiat ad condemnandum. 220.  
An licitum esset statutum de plena fide uni testis habenda. 221.  
An sufficeret assertio Principis, sibi ex aliorum Principum relatione constare, & esse notorium delictum. 222.  
An plenam fidem faciat assertio Principis de proprio visu. 223.  
An unus testis de facto proprio deponens, faciat plenam fidem in præjudicium tertii. 225.  
An regulariter sufficiant duo testes, & quales, ad condemnandum. 226.

219. **I**N qualibet causa tam Profana quam Ecclesiastica, tam Civili quam Criminali, regulariter sufficiunt duo testes omni exceptione majores. De testium numero in causis Civilibus, actum est priore tomo. Hic de causis Criminalibus solùm agetur. Itaque regula generalis, de sufficientia Duorum testium, etiam in causis capitalibus, approbatur à DD. nisi Statutum aliquod plures testes requireret. Sed de hoc Concl. 4. 220. Controversum est I. An aliquando unus testis plenam faciat probationem, & in specie quaeritur de Principe summo, an si is de-

visu testetur, absque alio teste reus condemnari possit. Negat Matth. Stephani in Novis ad art. 22. Ord. Carol. Crimin. Bodinus lib. 6. de Republ. c. 6. Carpzovius q. 114. n. 48. quibus addit Clarus Socin. inter consilia Curtii Junioris. Ipse autem Julius Clarus ex eodem Socino & communi opinione ferè omnium notat, (sed non audeat affirmare) quòd si Imperator diceret, aliquid sibi constare non quidem de proprio visu, sed ex relatione Principum sibi facta, & rem esse adeo notoriam, ut non indigeret probatione, & rescriberet proprio motu, tunc esset credendum ejus assertioni, saltem in tantum, ut transferret onus probandi contrarium in negantem. Quòd si Princeps asserat aliquid de proprio visu, tunc asserit, illi credendum etiam usque ad condemnationem. arg. Clementina literis de probat. Quòd approbat Farinacius n. 177. cum hac limitatione, nisi de Principe particulari interesse ageretur, v.g. de privando delinquentem feudo. Quæ tamen Clementina parum probat de criminalibus, solùm enim dicit, verba literarum Apostolicarum, quibus Papa proprium factum narrat, plene probate, si super illis gratia vel intentio Papæ fundatur. Quòd utique Pontifex statere potest contra seipsum, & in suam præjudicium. Hanc

I i 2 opinio.



pinonem de unico Principis testimonio, extendunt aliqui, quos refert Farinac. *q. 63. n. 5. ad quemcumque testem, cuius fides est indubitata, ut ad fratrem, religiosum, & probatissimam vitam, quæ tamen extensio communissimè rejicitur.*

221. Aliqui docuerunt, licitum fore statutum, quo jubetur etiam in criminalibus uni testi plenam fidem esse habendam. Sed hoc nullo modo est admittendum, ob rationes infra ponendas, nisi fortè in casu urgentis necessitatis aut utilitatis, v.g. ad deponendum Prælatum irregularem, vel nobilem privandum aliquo beneficio, quod plures concedunt apud eund. n. 12.

222. Dicendum videtur I. Non sufficere ad plenam probationem, quòd Princeps asserat, sibi ex aliorum Principum relatione constare, & esse notorium delictum. Ita concludit Farinacius n. 179. Probatur ex Clem. *Pastoralis de sent. & re judic.* ex qua colligitur, nec Imperatori esse credendum, asserenti de Notorio. Et ratio est, quia multa dicuntur Notoria, quæ tamen talia non sunt, prout contingit in casu ejusdem Clem. *Pastoralis*. Deinde obstant regulæ generales, nec est ullum fundamentum solidum hujus specialitatis & exceptionis. Est enim regula generalis, quòd dictum unius sit dictum nullius; seu quòd uni soli non credatur plenè. Item, quòd testis de auditu non audiatur.

223. Dicendum videtur II. Neque plenam fidem & probationem facit assertio Principis de proprio visu. Ratio est, quia nullo Juris textu hoc probatur. Adducitur Clem. *un. de prob.* sed jam dixi, ex ea nihil probari, quia loquitur de facto proprio, de quo vult Princeps sibi soli credi, quod est captu facile, quia nemini nisi sibi præjudicat. Quare non est, cur in hoc puncto à regula generali recedatur, quæ non solum in humano jure habetur, sed etiam in divino. Deuteronom. c. 19. *Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati & facinoris fuit, sed in ore duorum aut trium testimonium stabit omne verbum & c. 17. præcedente. In ore duorum vel trium testimonium peribit, qui interficietur, nemoque occidatur uno contra se dicente testimonium.* Quæ verba cum generalia sint, generaliter sunt accipienda.

Confirmatur hæc universalitas ex cap. 23. de Testibus. in fine, ubi dicitur. *Quia licet quedam sint cause quæ plures, quam duos exigant testes, nulla NB. est tamen causa, quæ unius testimonio (quamvis legitimo) remittatur.* Sed neque Imperator Cæsar scilicet excepti à regula generali quam statuit art. 67. ubi requiritur universaliter duos vel tres testes. Et clarissimè can. 8. ca. 33. q. 2. dicitur. *Quoniam nec Evangelium, nec ulla divina humanaque lex unius testimonio etiam idoneo quempiam condemnat.* Cum itaque adversarii nullum textum

in contrarium afferant, nec ad hos quidquam solidi respondeant, iis standum erit.

224. Controversum tamen est, an unius testis de facto proprio deponens, plenam fidem faciat in præjudicium tertii, v.g. si servus in tortura deponat de facto proprio in præjudicium domini. Pro affirmativa refert Farinacius *q. 63. n. 207.* plurimos DD. quibus accedit Carpzovius n. 55. qui tamen malè pro ea citat Farinacium, cum hic auctor ex professo contrariam propugnet n. 209. ubi post auctoritates relatas sic habet: *Regulam constituto negativam, quòd scilicet testis unicus de facto proprio deponens, non plenè probat.* Itaque

225. Dicendum est III. Unicus testis etiam de facto proprio deponens, non facit plenam probationem in præjudicium tertii, nisi aliqua præsumptione vel aliis ad minuculis adjuvetur, iudicis arbitrio æstimandis. Hæc est ferè communis sententia, nec adversarii ullo juris textu plures probant. Nempe adducunt legem 38. in fine. ff. de edil. edicto. ubi sic dicitur. *Quæro an standum sit responso servi. Paulus respondit, NB. si alia indicia prioris fugæ non deserviant, tunc etiam servi responso credendum est.* Ratio autem, cur accedentibus aliis ad minuculis plenè probet, est, quia probat plusquam semiplenè, quia contra seipsum deponit. Auctores refert Farinac. ad longum n. 224.

226. Dicendum IV. Duo testes sufficienter regulariter ad condemnandum, si sint ceteroquin idonei, atque omni exceptione majores, nisi speciali aliquo privilegio vel statuto plures requirantur. Hæc conclusio, omittis iuribus alibi relatis, continetur unà cum exceptionibus in cap. 2. & 3. ca. 2. q. 4. ubi in Cardinalibus & Episcopis ponitur exceptio. cap. 2. sic habet. [Prælatus non damnabitur nisi cum septuaginta duobus testibus. Nec Prælatus summus à quocumque iudicabitur, quoniam scriptum est, non est discipulus supra magistrum. Presbyter autem Cardinalis nisi cum quadraginta quatuor testibus non damnabitur. Diaconus verò Cardinalis Urbis Romæ nisi cum viginti septem testibus non condemnabitur. Subdiaconus, Acolitus, Exorcista, Lector, Ostiarius, non nisi septem testibus condemnabitur. Testes autem, & accusatores sine aliqua sint infamia.] cap. 3. [Nullam damnationem Episcoporum unquam esse censemus, nisi aut ante legitimum numerum Episcoporum (qui sit per duodecim Episcopos) aut certè probata sententiâ per septuaginta testes idoneos, qui tales sint, qui & accusare possint.] Verum, postea subiungitur. [Sed hoc vel speciali privilegio de Clericis Romanæ Ecclesiæ intelligitur, vel propter improbitatem quorundam, qui cum non sint spectatæ vitæ, & scientiæ, in accusationem ministri-

strorum Dei repente profluant. Quorum verò vita NB. adeo laudabilis est, ut omnibus imitanda appareat, de quorum assertionem nulla dubitatio nasci poterit, eorum testimonio duorum vel trium testimonium quilibet iure convinci & damnari poterit.] Quæ verba ut coherant cum prioribus, ubi expressè testes idonei requirantur, videntur ita concilianda, ut ille major numerus requiratur talium testimonium, contra quos de facto nulla occurrit opponibilis exceptio sufficiens, quia nihil apparet, ob quod debeant esse suspecti, & sic sunt præsumptivè boni. Quando autem sunt positivè boni, ut nemo prudens, non sit illis crediturus & promptè assensurus, quòd tunc ordinarius numerus sufficiat. Certè aliqui, quos laudat Farinacius n. 244. dicunt, quòd hodie dispositio illorum capitulorum non servetur in practica. Nam secundum illa tempora ad compescendam malitiam hæreticorum, qui aliquando Cardinales & Clericos accusabant ad effectum, ut à suo officio removerentur, & alii substituerentur, emanavit dicta constitutio. Quæ ratione (inquit Farin.) hodie cessante, debet etiam cessare talis dispositio, & ideo ille textus secundum DD. hodie non procedit; quod etiam asserit Julius Clarus *q. 66. n. 5.* dicens ita vidisse & legisse se, observatum, quando Papa processit contra Cardinales. Secundum hos ergo AA. hodie sufficienter duo testes ceteroquin idonei, & non suspecti, quales sufficienter contra quemcumque alium.

## CONTROVERSIA II.

*In quibus casibus testes alioquin inhabiles admittantur.*

### SUMMARIVM.

**A**N admittantur testes alioquin inhabiles in delictis difficilis probationis. 227.  
An habeantur pro testibus integræ fidei ad faciendam plenam probationem. 228.  
Quæ sint Crimina excepta, ut admittantur testes alioquin inhabiles. 229.  
Non admittuntur tamen ad probandas Quæstiones præjudiciales & admixta. 230.  
Quinam inhabiles admittantur cum tortura. 231.

227. **Q**uinam Testes sint inhabiles, & à testificando repellantur, tractavi tomo

præced. cap. de Testibus, & enarrabuntur in specie contro. sequente. Illis ergo suppositis

Dicendum est I. In illis criminibus probationis, quæ sunt difficilis probationis, ita ut aliter crimen probari non possit, admittuntur etiam testes alioquin inhabiles: hujusmodi crimina sunt: furtum, Adulterium, partus suppositus, Simonia, & univèrsam criminum nocturna, commissa in memoribus, aliis locis secretis. Ut autem dicatur crimen aliter probari non posse, non sufficit, quòd hic & nunc alii testes quam inhabiles dicantur non intervenisse, sed debet delictum in talibus circumstantiis commissum esse, ubi nec poterint alii testes, quam illi inhabiles, intervenire. Et ita explicant communiter DD. quibus tamen contradicit Clarus *s. fin. q. 24. n. 19.* allegans praxin contrariam, quòd nempe quando certum est, aut etiam verisimile, alios non adfuisse, Senatus Mediolanensis solet fidem adhibere testibus inhabilibus, saltem ad infligendam poenam extraordinariam, vel ad torquendum. Colligitur hæc Conclusio ex cap. fin. de testibus cogendis. ibi. *Et ipse intentionem suam probare non possit, nisi testimonio civium prædictorum.* Ceterum, Farinacius monet, non requiri probationem, quòd delictum aliter probari non possit, sed hoc relinquat iudicis arbitrio. Colligitur etiam ex cap. 38. de testibus in fine. *Quia verò quæ in capitulo aguntur non possunt facili, nisi per canonicos probari, volumus, ut ad testimonium vocati liberè valeant pro utraque parte testari.* & l. 8. C. de repud. admittuntur testes domesticæ super delicto domi commissio, quia per alios veritas haberi non potest.

Advertit tamen bene Ant. Gomez *c. 12. n. 21.* in fine, quòd posita conclusio intelligenda sit, quando testes sunt inhabiles ex defectu quo non resultat odium contra personam contra quam producuntur, secus, si resultat odium vel inimicitia, ob præsumptionem committendæ falsitatis ex odio.

228. Dubitatur tamen, an in talibus illi testes inhabiles faciant plenam probationem, & habeantur tanquam integræ fidei. Negant plures, quos sequitur Farinacius, volens, illos solum facere qualem qualem probationem. Mihi tamen videtur verius, quòd habeantur tanquam integræ fidei, prout plures docent apud eundem, inter quos etiam est Mascardus. Nam Jura allata loquuntur in casibus, ubi plena probatio per tales testes intendebatur.

229. Dicendum II. In Criminibus exceptis, ut est crimen Hæresis, Læsa Majestatis, Læsa Civitatis, Simonia, & similibus atrocibus, admittuntur testes alioquin inhabiles. Ratio est, quia hoc meretur illorum criminum enormitas, ut sicut aliæ solemnitates non observantur serupulo-



pulose, ita nec qualitas testium. Et quidem de crimine heresis existat clarus textus cap. 5. de Hereticis in 6. In fidei favorem concedimus, ut in negotio Inquisitionis hereticæ pravitatis, excommunicati, & participes, vel Socii criminis ad testimonium admittantur. Præsertim in probatione aliarum defectum &c. si NB. ex verisimilibus coniecturis, & ex numero testium, aut personarum (tam deponentium, quam eorum contra quos deponitur) qualitate, ac aliis circumstantiis, sic testificantes falsa non dicere præsumantur. De aliis criminibus suo loco dictum est.

230. Conclusio tamen non est extendenda, ut admittantur testes inhabiles ad probanda adminicula seu quæstiones præjudiciales criminum, ut bene advertit Bartolus in l. quæstionibus ff. ad L. Jul. Majest. ubi ponit exemplum in eo, quidum esset Rector provincie, recusavit successorem, & sic commisit crimen læsæ Majestatis, & ad hoc probandum admittuntur infames: qui tamen non admittentur ad probandum, quod ille successor erat legitimus: successorem enim non legitimum reculare, non est crimen læsæ Majestatis. Item in crimine adulterii non admittentur ad probandum matrimonium, (sine quo adulterium consistere non potest.) Si aliquo statuto caveretur, ut infames admittantur. Simili modo non admittendi sunt inhabiles ad probanda indicia remota, ne quidem in atrocissimis, ut tradit aliis relatis Farinacius q. 16. n. 73.

231. Dicendum III. Quando Inhabilitas testis provenit ex defectu famæ vel status, tunc ad hoc ut admittantur in casibus duarum præcedentium conclusionum, necesse est eos deponere in tortura: quod tamen secus est in aliis, & alio respectu inhabilibus, v. g. quia sunt minoris ætatis, nisi etiam his concurrerent plures inhabilitatis rituli, tunc enim ne quidem cum tortura admittentur. Ità communiter DD. qui, nisi fallor, ex praxi hoc docent, nam jus scriptum non adducunt: sed solum dicunt, quod tortura non sufficit ad plures defectus purgandos.



### CONTROVERSIA III.

#### Quinam in Causis criminalibus sint inhabiles ad testificandum.

#### SUMMARIUM.

**O**mnes inhabiles in Civilibus sunt inhabiles in Criminalibus, sed non e contra. 232.  
**I**n Criminalibus, quando requiruntur habiles, debent esse omni exceptione majores, hoc est, singuli facere plusquam semiplenam probationem. eod.  
**R**epicitur testimonium gerentis grave odium contra reum. 233. & seq.  
**A**n femina possit in Criminalibus repelli ab inimicitiam 235.  
**A**n Princeps possit legem facere, ut inimicus admittatur ad testificandum. 236.  
**A**n Inimicitia inhabilitas possit suppleri per torturam. 237.  
**A**n inimicus repellendus, si in articulo mortis & Sacramenti munitur deponere. 238.  
**A**n depositio inimici saltem sufficiat ad inquirendum. 239.  
**A**n disputatio de Inimicitia sit rejicienda ad suam litem. 240.  
**A**n inimicus repelli possit, si reus dedit causam inimicitie. 241.  
**Q**uidsi inimicitia sit modica, & facile conciliabilis. 242.  
**A**n inimicus reconciliatus possit ratione præterita inimicitie repelli. 243.  
**Q**uidsi sit inimicus utriusque partis, accusati & accusatoris. 244.  
**C**onsanguinei & affines accusatoris, non possunt testari contra extraneum. 245.  
**S**ed quidsi causa criminalis civiliter intentatur. eod.  
**I**n criminalibus non possunt consanguinei vel affines rei cogi ad testificandum contra eundem. 246.  
**A**n consanguineus possit cogi ad testificandum in favorem accusati. 247.  
**Q**uidsi veritas aliter haberi non possit. 248.  
**A**n lateri aies etiam excludantur. eod.  
**Q**uando Juxta procedit ex officio, vel ad instantiam ipsi, ad defensionem admittuntur consanguinei, deservientes testibus contrariis. 249.  
**C**onsanguineo contra reum deponenti, creditur ex extraneo. 250.  
**A**n quod de consanguineis dictum, etiam de conjugate dicendum sit. 251.  
**Q**uinam domestici specialiter a testimonio repellantur in criminalibus. 252.

Ex-

**E**xceptiones à regula. 253.  
**A**n in delictis domesticis domestici faciant plenam fidem. 254.  
**Q**uidsi contra domesticos sit gravis presumpcio. 255.  
**A**d probandum innocentiam admittuntur domestici, sed non ut reprobatorii. 256.  
**A**n idem dicendum in criminibus exceptis. 257.  
**Q**uidsi reus gravatus esset gravibus indicia. 258. & seq.  
**T**estes domestici in casu quo non sunt admittendi, etiam examinati sint, non faciunt presumptionem, parte opponente. 260.  
**Q**uando domesticus pro domestico contra domesticum admittatur in testem. 261.  
**Q**uid dicendum de amicis, & Vasallis. 262.  
**I**nfames admittuntur in subsidium. 263.  
**A**n admitti, & non in subsidium, faciant sufficiens indicium ad torturam. 264.  
**I**nfames legitime examinati & de proprio visu deponentes, quale faciant indicium. 265.  
**Q**uale indicium faciant infames infamati facti. 266.  
**A**ccusatus quando admittatur in testem. 268.  
**I**ncaveratus quando admittatur in testem. 269.  
**Q**uinam in Minore ætate admittantur. 269.  
**I**n crimine læsæ Majest. an Impubes admittantur. 270.  
**I**tem quando veritas aliter haberi non potest. 271.  
**Q**uale indicium faciat, si veritas aliter haberi potest. 272.  
**Q**uomodo pubes factus possit testificari de iis, quæ vidit in pupillari ætate. 273.  
**Q**uo jure admittatur mulier. 274.  
**A**n jure civili admittatur, in causa, cujus pœna est corporalis. 275.  
**Q**uerelator non potest esse testis in causa in qua querelavit. 276.  
**Q**uid si Juxta ex pluribus querelantibus unum elegit, an reliqui possint esse testes. 277. & seq.  
**Q**uando Juxta sint causa possit esse testis. 278. & seq.  
**R**eus regulariter non est examinandus, quos habuerit socios criminis. 281.  
**N**ominatio socii quale indicium faciat. 282. & seq.  
**P**ossit sufficiat ad torquendum, quanam requirantur. 284.

232. **D**e inhabilitate testium in causis Civilibus, prolixè actum est tomo priore, & in tractatu de ultimis voluntatibus. Huc reservata sunt specialia in Criminalibus. Pro quibus Notandum est I. In Causis Criminaliter intentatis & motis (quidquid sit si Civiliter agatur) aliquos esse inhabiles ad ferendum testimonium, qui tamen in Civilibus habiles essent, & ideo quamvis omnes inhabiles in Civilibus sint multo magis inhabiles in criminalibus, sed non e contra.

Notandum II. In causis criminalibus regulariter loquendo, hoc est, quando inhabiles non admittuntur, (prout admitti aliquando dictum est præced. controv.) non sufficere quomodo-eunque idoneos, sed requiri omni exceptione majores, hoc est, quorum quilibet eorum faceret plusquam semiplenam probationem, ut tradunt communiter Interpp. in legem fin. C. de probat. [Sciatur cuncti accusatores, eam se rem deferre in publicam notionem debere, quæ munita sit idoneis testibus, vel instructa apertissimis documentis, vel indicia ad probationem indubitatis, & luce clarioribus expedita.] Et quamvis plures DD. pro eodem accipiant testem idoneum, & omni exceptione majorem: Farinacius tamen cum aliis plus tribuit secundo quam priori q. 62. n. 1. quæ tamen videtur in praxi esse subtilitas parum utilis, cum non specificent DD. in exemplis discrimen, ut tandem videatur res relinquenda Judicis arbitrio, an testi producto, & ceteroquin idoneo putet aliquid deesse, quominus sit omni exceptione major, eo quod saltem levis aliqua suspicio in illum cadere possit, nec tamen sufficiens, ut repellatur. De hoc discrimine dixi aliquid in præced. tomo, & paulo post aliqua exempla afferentur.

#### §. I.

#### De Inimico.

233. **D**icendum I. In causa criminali rejicitur testimonium ejus, qui grave odium gerit contra accusatum vel inquistum, & contra talem reo conceditur exceptio. Quæ conclusio non solum procedit cum omnibus illis ampliationibus, cum quibus procedere dixi in Causis civilibus præced. tomo tract. 3. cap. de Testibus, (nam ut paulo antè notavi, qui in Civilibus non admittitur, nec etiam in criminalibus admittitur) sed extenditur insuper (secundum Everhardum & alios) ad eum, qui est domesticus seu amicus alicujus inimici illius contra quem producitur: item extenditur etiam ad illum causum, in quo veritas aliter haberi non potest, & in criminibus exceptis, ubi ceteroquin testes minus idonei admittuntur, de quibus præced. controv. actum est, & adeo quidem, ut ne quidem indicium sufficiens faciat ad torturam, ut tradunt DD. quos refert & sequitur Menochius de arb. Jud. q. 28. u. 5. Colligitur ex cap. 32. de Simonia, in quo delicto probando, quamvis ceteroquin testes minus idonei admittantur, inimicus tamen excluditur illis verbis. [Nos verò illas duntaxat exceptiones probandas admittimus, quibus fortè probatis testes non Zelo Justitiæ, sed malig-